



Disputatio
**DE DIVINA, PRO SINGU-
 LORUM HOMINUM SALUTE, VO-
 LUNTATE CONTRA PROPHA-
 nam adversariorum impietatem,
 adferentium.**

- 1 Adamum Deo sic volente necessariò lapsum esse.
- 2 Deum numquam voluisse omnium misereri, aut omnes salvari.
- 3 Christum pro omnibus nequaquam mortuum.
- 4 Deum plerosq; quos vocat ad salutem voluntate revelata,
arcere à salute & negare abscondita.
- 5 Peccata quæ prohibeat, ad eadem occultè impellere.
- 6 Christum instrumentum salutis : Cujus meritum nec dignum
nec sufficiens ut Deum promereatur.
- 7 Nos electos absq; fide vel Christo considerato.
- 8 Plerosq; absq; ullo merito suo reprobatos; eosq; cum peccandi
necessitate conditos.
- 9 Deum Auctorem peccati præcipuum & efficientem.
- 10 Nullis flagitiis renatos fidem perdere &c.

De qua *σὺν θεῷ*, in Schola Tremoniana
 præfide

M. ANDREA SCHAAFMANO EC
 clesiaste Trem: respondebit Rever. Dn. Petrus
 Lyander Scholæ Lector.

18 Maij.

TREMONIAE
 Excudebat Albert. Sart.
 Anno M, D, xcV.

10

GENERO SO, NOBILISSI-
MO, VARIARUMQUE ARTIUM
SCIENTIA ERUDITE PERITO
NOBILI, DN. Oligero A Rosæ
crantz, GENEROSI, NOBILISS.
ET AMPLISS. VIRIDO.
MINI Georgii A Rosæcrantz
PROREGIS DANIAE
&c. FILIO, DOMI-
NO ET FAUTO-
RI SUO.

Hanc de prædestinatione disp: pristinae
amicitiæ recolendæ ergo

D. D. Dedico

M. Andreas Schaafmanus,

DE DIVINA AC BENEVO-
LA PRO HOMINUM SALU-
te voluntate

Thesis I.



Um irrequieta humani cerebelli curiositas, numquam non in vetitas abstrusarum quaestionum evangetur ambages; tum sané nullis repagulis cohiberi potest, quin in hac inaccessa recondita sapientiae prorepat adyta, nihil si liceat suis viribus sublimius non adgressura: Quam opportunum me agere existimo, si audaces errabundi ingenij conatus, sacrorum subsidio subactos, & ab infinita curiositate retractos, ad horum definita devinciam decempeda, quó inexplicabilis hujus labyrinthi exitus, expeditus pateat.

2. Nam etsi, οὐ δὲ τὰ κεκρυμμένα ζητῆρ: Non oportet abscondita inquirere: tamen neq; decet τὰ δεδηλωμένα παντελῶς ἀγνοῆρ: manifesta prorsus ignorare: Quia utrumq; reprehensionem meretur & Ιcari προπέτεια: temeritas: & Epicuri jejuna securitas.

3. Cum itaq; & scriptura & sufficientem & pellucidam earum omnium habeat innexam decisionem, quæ vel á salute vel consolatione nostra sunt, quis nisi recuperate vanitatis homo, in hanc pedibus inibit sententiam, ut constantem de prædestinatione veritatem, ex solis sacrorum digestis nec peti posse nec debere affirmet.

& Deut: 2. 2 Psal: 19. 7. Joan: 5. 39 & Prov: 6 22. Psal: 119. 105.

2 Cor: 4 3 & 6. Apoc: 5. 5.

I πόρισμα. Errant igitur qui tantopere obscuritatem Prædestinationis exaggerant, ut propter utrinq; invicta (scil.) argumenta velitatione supersedendum esse velint.

II πόρισμα. Errant qui ex Patrum cisternis & præcipuè u. Tossanus
nius Augustini vel ab ipsomet duriter prolatis vel Adver. de Pelagi-
sariis contortis dictis, alienas emendicant palliationes atq;
anfractuosas evasiones indagant.

4. Quare nos utriusq; scopuli evitato adflectu, nudè ac simplici-
ter, quo scripturæ cynosura deducet, hoc vastum & immensum con-
certam

certatiorum pelagus ingredimur. Justo tractatui remisissis ijs quae Methodi ordo postulat prae mitti (videlicet, ut eadē divina voluntas velit primum approbando vel simul decernendo. Deinde absolute vel cum conditione, Deniq; κατὰ πρόγνωσιν praescientiam: aut non: itaq; ut volendo vel permittendo agat: quae & alia Philosophorum praeceptis, Scholasticorum Theologorum subtilibus quaesitis, nec non ipsiusmet Theologiae exemplis utiliter & exserte accommodari possent.)

5. Primum itaq; intuenti mihi humanae integritatis statum, nihil non quo pessum eat causa adversariorum occurrit: Nam hic erga singulos & omnes omnimoda salvandi voluntas, ex benivola gratuitaq; creatrice gratia; quā totum genus humanum non alio quam salvationis sine erat conditum ac formatum. I. Deus enim creaverat hominem ad conditionem incorruptam & imaginem ipsissima naturae suae fecerat eum (Sed invidentia Diaboli mors venit in mundum) Sap: 2. 23 & 24. Genes: 1. 26. Col: 3. 10. Et quidem valde bene Genes: 1. 31. Exod: 31. 17. Mar: 7. 37. Adeo ut nihil adherentis vitij sit, quod ex creatione originem trahat, quo ad lapsum impellatur rapiaturve, nisi quis tam elevatae mentis esse velit, ut non subveareatur purissimae Dei imagini spurcicie maculas adspargere. II. Praeterea quia omnes in Adam transgressione rei damnationis Rom: 5. 17. Ergo omnes & singuli in Adam habuere concreatae justitiae salutem.

Rennech: πόπτουα. **Falsum ergo parentes volente & decernente in Cat. p: Deo lapsos, eoq; ut laberentur a Deo conditos. I Quia 32. Calvi: est impossibile, Deum simul eandem rem, contrariis creare finibus in inst: quales labi & salvari. II Quare recte Eccles: cap. 15. 11. Ne Beza 2 p. dicas per Dominum factū est ut deficerem: 12 Ne dicas ipse finxit me; Col: Mon. Nam non habet opus viro peccatore. 14. Ipse a Principio cum fecit 148. hominem permisit ipsum consilio ipsius, dicens; Si voles custodias dies mandata & fidem & 20 Non praecepit cuiquam ut faciat impietas, nec dedit cuiquam peccandi licentiam.**

6. Secundō Imago, erat concreata & propaganda sanctitas ac justitia, propter quam homo & Deo placebat & integrē voluntati obsequendo aeterni gaudij particeps erat futurus.

7. Tertiō adjecta erat conditio qua praemissa & stabant & peris

peribant : Quo die de fructu vetite arboris comederis morte morieris Genes : 2. 16 . idq; erat in facultate voluntateq; hominis , Eccl. 15. 16. 17.

8. Hanc dum tenebant conditionem, & Adam & singuli in ipso concreata justitie erant possessores, futurorumq; & eandem heredes.

I. *πρόπισμα* Ergo consideratione hujus status nulla nec futura vel electio vel reprobatio.

9 Sed postquam Deo non volente sed permittente, Diabolo vero desiderante operanteq; , homo qui non labi potuisset libera consentiente voluntate lapsus, prescriptamq; conditionem transgressus, excussa & fugata hac divina justitia, aliunde sibi interitum ac mortem acceleravit.

10. Hinc cum Deus omnes justissimo judicio, potuisset tum pravitati sue tum aeternae damnationi relinquere, sicuti de lapsis angelis factum esse constat : Commiseratus tamen humanum genus, totaq; Trinitas de recipienda, per lapsum amissam justitia, seipsam sollicitavit. Et quoniam salva offensa divina justitia, absq; solutionis *λύτρον* misereri non poterat, intuitu meriti, sui filij, voluit non paucorum sed omnium misereri. Adeo ut sicut ante lapsum sic & consideratione hac post lapsum. Fuit hæc sincera Dei voluntas ut omnes propter Christum fide apprehensum salventur, & nullus omnino pereat.

11. I. Quia Deus vult omnes salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire, 1. Timoth: 2. 4. ac neminem perire, 2. Pet: 3. 9. cum nullum quoq; ad iram constituerit, 1. Thess: 5. 9 quam voluntatem simul paternam esse auctor Christus est, Matth: 18. 14. sicut ipse semet ei juramento fidem fecit Hieskielis 33. 11 & cap: 18. Ne visam ego dictum Jehovæ, si volo mortem improbi: ubi sedulo notandum ne damnandorum velle interitum, *וַיִּרְאֶה* raschah enim quid sit Psa: 1. v. 1. apparet. Deinde mors hic aeterna damnatio est tum quia opponitur a Propheta vitæ salvificæ, tum quia terrena & temporaria fidelibus cum impiis communis est, hæc vero peccatoribus propria.

12. II. Cui voluntati exequenda firmissimo argumento redemptionis, per mortem Christi factæ, subjungatur articulus. Nam sicut

sicut per unius delictum in omnes homines condemnatio, sic per unius
 justitiam in omnes homines justificatio Rom: 5. 18. II. Quotquot enim
 conclusi peccato Rom 11. 32. mundani 1. Joan. 2. 2 peccatis onusti,
 Matt. 11. 28. mortui 2 Cor: 5. 14 & c. pro his singulis Christus mortuus
 us est 2 Cor: 5. 14. At quotquot damnantur tales sunt. Ergo non so-
 lum pro electis mortuus: ac ἐπομένως non voluit solos salvari. III
 Illud in specie de his qui inordinata fratrum conservatione offensi a
 Christianismo resiliunt testatur Paullus, Rom: 14. 15. 1 Corint: 8. 11.
 Quiq; malitia sanguinem pedibus proterunt, Heb: 6 & 10. Quiq;
 pseudopropheta celeritatem sui interitus incitant, 2. Pet. 2. 1 & 2.
 IV. Quae nisi ita essent nec serpentis caput contritum, nec diaboli re-
 gnum dirrutum, nec omnium peccatorum cherographum cruci adfixū,
 nec gratia per Christum reparata abundaret supra peccatum, quae cū
 aliis nervose scriptura adfirmat.

Toß: Cō.
 vifi: Thes.
 5. 6.
 Beza Col.
 Mōt. pag.
 114.

πόρισμα. Falsum ergo quod scribunt adversarij Chri-
 stum pro omnibus hominibus non esse mortuum.
 III Huic generali voluntati innititur universalis & promissa
 sio & vocatio, quam qui non substernat is veraci Deo maculam hy-
 pocrisews inurit. Si enim omnes vocat ad salutem & obsequenti-
 tus promittit; simplici sanē atq; vero animo & vocat & promittit:
 quod si fatearis salvandi voluntatem simul largiris. Nunc promissa
 sionum & vocationum universalitas a Christo enunciata & ab Apo-
 stolis strenue partim & administrata. Ergo quid consequens sit quis
 vis agnoscat.

α Esa: 25. & 42. Mar: 16. Matt: 28. & 11. 28.
 β Col: 1. 24. Rom: 10. Act: 7.

Bez. Col.
 Mōt. pag.
 172. &
 174. et 93.

πόρισμα. Rejctanea ergo & haec sententia Deum qui-
 dem vocare multos ad salutem voluntate revelata, quos
 tamen arceat a salute voluntate abscondita, quā ab aeterno
 maximae parti negaverit & salutem & redemptionem.
 Cum qua ejusdem elegantiae & sensus. Deum peccata revela-
 ta voluntate prohibere, occulta verō velle. In qua distin-
 ctione cum plurimum adjumenti quaerant, eo accuratius pensitanda est.
 I. Haec enim si vera esset aut duae in Deo contrariae volun-
 tates, aut una voluntas simul contrarium vellet. At absurdum est
 eam

eam simul de eodem velle & nolle, Eodemq; præcepto furtum prohibere & jubere. Impium quoq; & impossibile simplicissimam essentiam in duas voluntates dispescere. Veritati igitur consentanea non est, ex qua hæc emanant, opinio. II. Iustitia & sanctitas humana, vestigia sunt divinæ perfectionis. At humanæ sanctitati oblectatur, aliud palam, aliud clam velle. Multo magis itaq; divinæ perfectioni. III. Si ulla occulta voluntas quæ simpliciter hominis velit exitium, orando ut voluntas Dei fiat, imprecaris tibi ipsi in peccata & gehennam præcipitium; aut voluntati divinæ reluctaris. Hoc prophanum & vetitum est: Illud & precum fini earumdemq; partibus oppositum. Occulta ergo voluntas de peccatis & perditione simpliciter decretis nulla est. IV. Sequeretur tam peccando quam bene operando infallibiliter fieri voluntatem Domini: quod ἐπιπόθεον est. V. Emergeret in Deum ὑποκρίσως & simulationis notata blasphemia.

15. IV. Quamobrem voluntatis erga singulos benevolentia facta tecta observanda si Consolationum communio tutanda fuerit. Quo fundamento concusso, ex particulari remedio nil nisi desperatio anxii instillatur animis.

16. Unde necessaria est consecutio Deum verè & sincerè omnium ac singulorum salutem velle, & in Christo singulis partam iustitiam animo communicandi obferre.

17. At responsabit mihi Adversarius, si seriò singulos salvari velit, tunc plurimorum damnatione videri Deum mutabilem, atq; malitia reproborum de Omnipotentia sua dejectum, qui quod velit, effectum dare nequeat.

18. Sed mi homo, non sumus nescij si absolutè hominum salutem vellet nullum non salvari: Quia nullus qui voluntati eius resistere Rom: 9. 19. aut eam infirmaret: Jesa: 14. 27. cum simpliciter consilium stet, voluntas fiat & eveniat. Jesa: 46. 10 & 14. 24. verum postquam cum conditione eam conjugavit (quæ ante lapsum, abstinentia ab arbore vetita Genes: 2. 17. post lapsum τό credere Joan: 3. 16) ad quam cum Deus omnes per ordinata media tracturus sit, quorum tamen major pars seipsam indigniorem reddat, sit ut his præteritis benigna salvandi voluntas spe effecti destinati excidat, quod in iis, qui patiundo se subijces trahenti Deo submitunt, fide adepta adimpletur.

Actor:

- Acto: 13. 46 & 48 49. 2 Thess: 2. 9. Erga singulos nihilominus
Deus immota benevolentia voluntate ἀμεταμέλητος persistit Rom:
11. 29. Nec humana incredulitate Dei evacuatur fides Rom: 3. 3.
quæ seipsam negare non potest, 2 Tim: 2. 13.
19. Deinde generalis salvationis volitio fidei conditione est
circumsepta dicente Christo ipso, Joan: 6 39. hæc est VOLUNTAS
(quæ causa gratuita à qua) ut omnis qui videt FILIUM (quæ cau-
sa propter quam) & CREDIT (instrumentum per quod) in eum,
sit ei vita quæ est in æternum. cum quo conspirant, cap: 5 v. 15. 15
ad 35. Quamobrem etiam omnes ubiq; homines voluit agere pœni-
tentiam & ad agnitionem veritatis pervenire, 1 Tim: 2. 4. Actor:
17. 30.
20. Quod verò maxima pars non credat, non fit, quod non de-
bebat, sed quia, quod per ordinata media (Spiritus Dei largientia) &
debebat & poterat, propriâ, non Dei, a se culpa fugarat, vide thesin
42. pauci autem perseverante fide meritum Christi amplectantur,
non ex se, quia ex nature proprietate non minus apti erant ad creden-
dum quam Adversarij ad volandum: Neq; aliquâ gratiâ, quæ in na-
tura reperiatur residua, fidem comitante; Quod merè pelagianû quoq;
est: sed ex efficacibus à Deo ad fidem in patientibus objectis operandam,
ordinatis instrumentis, verbo nimirum & Sacramentis.
21. Hinc fit quod omnes non salventur sed hominum vitio pau-
ci electi multi reprobi.
22. Et Deus quia Deus est, ea omnia ut nunc eveniunt taliter
eventura divina præscientia prævidebat, & secundum præscientiam
hos ob prævisam finalem incredulitatem reprobavit hoc est damnatio-
ni addixit: Illos ex mera gratia propter Christum vera fide fina-
liter apprehensum elegit & gloriæ æternæ destinavit. de quibus nunc
ordine subjungemus explicationem.
23. Et primum prædestinatio seu electio est voluntarium
conditionis decretum, quo Deus secundum præscientiam
ex gratuita misericordia, propter meritum Christi, quot-
quot prævenientis gratiæ auxilio, Christum fide apprehen-
suri, & subvenientis permansuri, ad vitam æternam præ-
destinavit & elegit.
24. Quam Apostolica mentis sententiam distinctis agminibus
ado

adoriuntur Adversarij nostri. Ex quibus illi qui ἐκ φαιδομένου Ca-
tholici dicuntur, libertatem arbitrij & præviforum operum dignita-
tem Pelagianorum more infarciunt. Alij qui non meliori nota, sibi
Orthodoxorū tam fastuose quam vanē rapiunt titulos, simplicem nu-
dam & absolutam voluntatem, citra Christi ac fidei intuitum, solita-
riam faciunt Electionis causam. Nos igitur ἐν τῷ μέσῳ : in medio :
constituti, humanis viribus indebitum honorem contra illos decerpi-
mus, suumq; tum Christo tum in eum defixæ fidei contra hos vindi-
camus.

25. Illos itaq; quod attinet, non sicut Adversariorum caterorum
Deus, aliud voluntate signi aliud beneplaciti sed simul & ore &
corde fatemur; Deum in nobis nihil omnino prævifione eterna inve-
nisse, sive fidem sive meritum quocunq; cuius dignitate motus, homi-
nes misericordia sua dignaret & consequenter eligeret: I. Quia fi-
des donum Dei, sicut & quævis in homine bona, quorum & velle &
perficere in nobis operatur Phil: 2. nec quod ipsi nō, acceptum fera-
mus habeamus nihil, 2 Cor: 4. 7. II. Quia nos non elegimus eum sed
ipse nos Joan: 15. Neq; quod vel præviente vel comitante gratia di-
lexerimus ipsum sed quod ipse nos, 1 Joann: 4. Nam patres gratis
dilecti, Deu: 10. & populus in sordibus inventus Hefekielis 16. Quam-
obrem etiam inventus est á non quærentibus Jes: 56. Sicut nec Jacob
Deum invocavit, nec pro eo laboravit, Esa: 43. Sed antequam
natus nec quicquam boni vel mali fecisset Jacobum in figuram eter-
næ electionis dilexit, Rom: 9. III. Si ex beneplacito Eph: 1. 4. Si
gratis: jam non ex operibus Rom: 11. 6. IV. Præterea quod non
solum opera nostra imperfecta sunt, Jesa: 64. 6. Phil: 3. 8. Sed quod ne
illa imperfecta á nobis ut nobis progressura erant. Nihil itaq; quod
merito locum relinquat in nobis præscit, quo misericordia tactus nos
salvandorum catalogo adscripserit.

I. πόρισμα. Αδελόλογον ergo est prævifa opera esse ele-
ctionis nostræ causam.
II. πόρισμα. Pariter iudicamus de Adversariorum in no-
stros contorto convitio: Fidem prævifam esse causam ob
quam eligamur & Electionis principium non á Deo sed
hominibus dependere. Quæ ut falsa ita de nostris conficta ab
Adversariis mendacia.

Bellar: to.
3 Cont: 3.
Brylm. in
Evid.
Greg:
de Valent.
de præd.

Quod olim
Augustin.
& in nos
torquent
Advers.
Tossa. de
Pelag. An.
no 95.

B Verum

26. Verum quia cum κακός ὄγοις agere est animus, missis nunc κακόλυκοις, illos adgrediemur. Qui cum animadvertant nisi electio eiusque decretum simplici & absolute divinae voluntati absque Christi eiusque meriti sine apprehensi (Christus enim fide apprehensus hic conditio est) intuitu definiatur, subito & sponte quidem, iam nuper partim renatum partim progenitum Stoicomanchæoturcismi monstrum denasci, ideoque tanto impetu (Christo fide apprehenso, causis consilij salvationis nostræ exturbato) pro mero & absoluto simplici eudoxias: antiquem: decreto depugnant. Quamobrem pro definitione nostra, hisce instructi armis Adversariorum effrenem ἀπειρολογίαν compefcimus audaciam.

27. I Primò enim manifesto D. Paullus Christum electionis immiscet negotio, Eph: 1. 4. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo: Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi ut essemus sancti.

J. Pis: the: 28. Neque quemquam turbabit ψευδοῦ ἑρμηνεία Sigenensis (Deum 23. dis: to. elegisse in Christo, nihil aliud esse quam quod elegerit nos ad hoc, ut 95. nos in Christo adoptaret, & propter & per ipsum salvos faceret) Beza in qua præter vanam futilitatem impingens Paulo ταυτολογίαν; qui Annat: salvationem docet eo quod sanctos & immaculatos exhibiturus sit. II mai: in Committendo fallaciam συνθέσεως: Compositionis: quod ea quæ ea, 1. Eph. Paulo distincta erant confundat. Qui Electionem in Christo factam, ut causam: à sanctificatione & immaculata vita .i. salvationi seu unxerat. III Incidit nervum comparationi Paullinæ, conferenti executionem temporalem: Benedictionem factam in Christo: cum æternæ electionis decreto; Sanctificatione & immaculata vita, à Christo in quo electio, futura. Quod evidenter apud Syriacum est interpretem. Qui benedixit nos &c. in Christo: Quem admodum prius nos elegit in ipso, &c. unde hæc mihi enascitur argutatio.

Quemadmodum justificamur in tempore, hoc enim volunt verba benedici in cœlestibus & spiritualibus benedictionibus, secundum illud Genes: 22. 18 & 1 Cor: 1. 3. 1 pet: 1. 3. Ita quoque ante constitutionem mundi .i. ab æterno, electi sumus. Connexio Paulli Col: 1. 4. cuius Ratio. Quod non aliter justificemur in tempore

tempore quam decretum sit ab aeterno, quod est electio.

At non mala & absoluta sed ex gratuita gratia propter Christum fide apprehensum, justificamur absq; Pelagianismo.

Ergo quoq; ex gratuita gratia eligimur ab aeterno propter Christum fide apprehensum, absq; Pelagianismo.

29. II. Εμ ω έχομεν : In quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum, Eph: 1. 7. Εμ ω ημεν εκληρώθημεν in quo sorte vocati v. 11. εμ αυτω προορισθεντες κατα προδεσιμ : In eodem praedestinati secundum propositum v. 11. At ex gratia Dei in vel propter Christum fide apprehensum habemus redemptionem, &c. absq; pelagianismo. Nisi Paullus Pelagianus sit.

Ergo quoq; in eodem habemus electionem absque Pelagianismo . Et per consequens electio non est mera voluntatis.

30. III Nam si secundum nudam & absolutam ευδοκίαν seu voluntatem est factum electionis decretum : non est factum κατα πρόγνωσιμ. Ratio est. In absoluta voluntate nihil est prius & posterius . At data praescientia datur prius & posterius; consideratione cujus facta electio . Ergo solitaria voluntatis non est electio . Quia vero secundum praescientiam factam electionem dicant Paullus Roman: 8. 1. Petr: 1. Quid consequens sit jam dictum est.

31. IV. Si absq; Christo facta est electio . Ergo quoq; absq; intuitu eorum, quae nisi ex Christo promanant . Quia remoto Christo; aliena beneficia ejusdem. Quia alias non esset absoluta (ut volunt) electio . Ergo quoq; absq; redemptione, peccatorumq; venia, peracta electio ad salutem . Quod si agnoscant , adsumant illud : Salvati quoq; posse absq; remissione peccatorum, quod ασεβες και ἀδύνατοι est . Nam quando redemptio remissioq; decreto salvationis excluduntur, simul quoq; ab executione excernuntur: quia executio non nisi decretorum executio est.

32. V. Decretum electionis de salvandis hominibus aut factum propter Christum intercessorem aut absq; interventu meriti & intercessionis

J. Pigen.
Ann: 8, in
M. S. de
objecto
praedest.

cessionis Christi. Si hoc, aut iratus aut placatus decretum electionis fecit. Si iratum effecisse dicas: aut turbato fecit iudicio quod impium, falsum & ἀδύνατον: Est enim Eph: 1. 9. secundum beneplacitum peractum. Et ἀντιφάτικον Deum non placatum eligere, cum electio manifesta requisiti favoris nota. Aut in perniciem hominum redundaret electio: quod ἄτοπον est. Relinquitur itaq; placatum hominibus elegisse Deum, quod requirebat offensa iustitia: Quia Deus non poterat misereri & misericordia tactus ad eligendum moveri, priusquam lesa iustitiae sufficiens decreta esset reconciliatio. Aliter qui sentiat, is proprietatem in Deo simplicitatem, creatitiae compositioni impingit: & ipsam divinarum actionum concinnitatem δὲ δὲ πᾶσιν discrepare facit. Ergo placatus hominibus elegit Deus.

33. Nunc autem cum ob nihil, nisi id, quod inter dissidentes partes interponitur, reconciliatus esse potuit. Quod praeter Christum mediatorem nullus est, 1. Tim: 5. Heb: 8. 6. 9. v. 15 & 2. 24. Propter illum ergo facta reconciliatio.

34. Si itaq; hinc pater reconciliatus, placatus, absq; quo beneplacito (peccati satisfactionem in Christo, intuente) eligere non potuit ut supra diximus. Reconciliatio haec causa electionis est meritoria. Quod enim causa cause, id quoq; ejusdem effecti seu causati. At causa beneplaciti eligendi. Ergo quoq; electionis. Alias sequeretur Christum non vitae ac salutis fontem, ut Act: 3. 4. a Petro appellatur sed instrumentum esse; quod impium est. Hinc.

J. Pisc.

I thes: 22. de

pred. A.

95.

Cal: 2. Inst

C 17. d. 1.

Aret. p. 1.

pag: 85.

I πόρισμα. Vanum ergo & horrendum ne Christum quidem electionem ingredi, nec nos propter eum electos esse. II πόρισμα. Blasphema & sacrilega Calvinii verba, negantia Christi meritum per se consideratum esse meritorium salutis & dignum quod iratum Deum promeretur his verbis. Equidem fateor, si quis simpliciter & per se Christum opponere vellet iudicio Dei, non fore merito locum: quia non reperietur in homine dignitas quae possit Deum promereri. Plusquam haereticam sane, quibus Christus inter sortem aliorum hominum deicitur, hominibusq; anxio, spes in Christi merito defixa penitus convellitur. Quo pertinent ea omnia quibus Christum non causam sed instrumentum electionis esse scripserunt. Contra quam ἀποσασίαν: defectionem: haec consideranda fundamenta.

Merito

35. I. Meritum Christi aut merè divinum aut humanum, aut
Conjunctim $\delta\epsilon\alpha\upsilon\tau\acute{\omega}\pi\iota\nu\omicron\mu$ Si merè humanum vera quidem esset
Calvini adsertio; sed antecedens jam antè ex Christiana ecclesia cum
Nestoriana hærèsi exolevit. Non ergo illud. Nec merè divinum; Quia
morte etiam acquisitum. Ergo ab utraq; natura profectum, ad quod
ex Chalcedonensis Concilij lege, utraq; secundum sibi proprium con-
spiraverit, qualiter ad omnia $\alpha\pi\omicron\tau\epsilon\lambda\epsilon\sigma\mu\alpha\tau\alpha$ concurrunt. Nunc si
fateatur Calvinus hoc à Christo peractum redemptionis $\alpha\pi\omicron\tau\epsilon\lambda\epsilon\sigma\mu\alpha$
ad promerendam divinam gratiam & insufficientis & indignum. Se-
quetur major dignitas & $\alpha\upsilon\tau\acute{\alpha}\rho\mu\epsilon\alpha$ in Patre quam in Filio quod
Arrianæ hærèsicos subministratum telum. Retorqueo igitur argu-
mentum. II. Filius homo factus, par Patri est. Ergo per se & sim-
pliciter in ejus merito dignitas, quæ paternæ iræ persolvendo par sit.
III. Deniq; ut infinita subtriceam testimonia quæ Calvinus .d. 2 dicti
loci, aliena gratiæ distinctione incautis obfuscet & enervat, hoc ad-
dam. IV Si vera Calvini & quos notat sententia, tunc Christus legem
nondum implevit, ejusq; execrationem morte abolevit. Sumus itaq;
necdum liberati: quod desperationis fomentum est.

36. Posteaquam nunc firmis atq; inconcussis rationibus evicimus,
nos non absoluta voluntate, sed ea quæ intuitu meriti Christi re-
conciliata sit propter Christum electos esse: facilius mihi patebit ex
residua quæstione exitus. Utrum ullus fidei electorum intui-
tus electionem ipsam ingrediatur? Etenim si quæ meriti aut
dignitatis habeatur ratio simpliciter nego, sed eo quo in actu Justifi-
cationis collocatur ordine ipsis quæ in electione pensitantur inserere,
non indico $\pi\epsilon\lambda\alpha\gamma\iota\omicron\upsilon\varsigma$ nisi Paullus $\pi\epsilon\lambda\alpha\gamma\iota\omicron\upsilon\iota\varsigma$.

37. I. 2 Thess: 2. 13. Elegit nos Deus ab initio in sanctifi-
catione spiritus & in FIDE. ubi sanctificatio non ea, quo in ope-
ribus nostris à S. S. in nobis excitatis, intelligenda est, sed qua corda
hominum fide purificat & sanctificat in Christo Jesu, Actor: 15.
de qua Jesa: 4. 1 Cor: 6. Ideoq; Fidei præmittitur & eximius quid,
quam quod qualitati in nobis, attribui posset, a Paulo adscribitur.

38. II. Paullus rejectionis Jehudæorum & electionis gentium
rationes enarrans nihil Pelagianismum metuens sic effatur. Bene.
Hi quia non crediderunt amputati sunt: tu autem fide con-
stitisti, Rom: 11. 20. Et v. 22 & 23. Admonet nisi ii. ipsa be-
nigni-

nignitate manserint, excindendos fore, illos, si pariter in fidei defectu non perseveraverint, inferendos.

39. III Deinde si Christus ut nuper diximus ratione meriti & obedientiæ est causa electionis nostræ; id erit simpliciter vel relatè quatenus fide apprehensus hominibus imputatur. Si simpliciter: Ergo singuli sufficienter essent electi ut sufficienter pro illis mortuus: Ergo nullus damnaretur. Prodessetq; Christus sine fide. Quia Electio prodest. At sine fide nulli prodest, per quam habemus accessum ad gratiam Eph: 3. 12. Rom: 5. 2. Quia per fidem propitiator propositus, Rom: 3. 25. Ut eo apprehenso tandem aditus ad Patrem pateat, Eph: 2. 18. Aliter enim patri nemo placet, Heb: 11. 6. Ergo saltem sub fidei consideratione electionis causa est.

40. Idem præter relationem electionis & justificationis hæc concludit ratio: Electio non est extra Christum. Homo ut peccator extra Christum sine fidei consideratione repositus. Quamobrem cum electi in Christo sint sine fidei consideratione id esse nequeunt. Quæ cum ita sint, sequuntur hæc consectaria.

Arct: p. 2,
pag: 88. I $\pi\acute{o}\rho\iota\sigma\mu\alpha$. Electionem nostram ad salutem non esse absolutam, absq; consideratione redemptionis & fidei, solius & unicus benepliciti actionem.

Puccius. II $\pi\acute{o}\rho\iota\sigma\mu\alpha$. Electionem non esse universalem, quia fides non sit omnium, quæ ad electionis complementum conspirat, 2. Thess: 5. 2.

41. Hactenus tum de voluntate salvandi, tum de electione egimus, reliquum quid reprobatio sit edoceamus. Est autem reprobatio similiter voluntarium conditionis decretum, quo secundum præscientiam quotquot vel SSancto fidem per verbum operaturo repugnaturi, vel operatione Dei conceptam fidem, propria culpa excussuri erant, inq; ea malitia permansuri, reprobare & æternæ damnationi addicere voluit. Quæ voluntas hic est consequens reliquas reprobationis causas, sicut in Electione erat antecedens.

42. Non enim á Deo hujus tanti mali principium, qui perditione impij non delectatur. Hefekielis 18. 52 & 53, Psal: 5. 5. Hof: 33. Sap: 1. 13. Sed ab innata Hominis malitia sicut Paullus Rom: 11. 20. In

Incredulitate defraſti ſunt. Ob quam Spiritus ſanctus arguet mundum de peccatis, Joan: 15. 19. Item quia ad Cenam vocati non comparent, Luc: 14. 24. Et repellendo ſermonem Dei ex quo fides Rom: 10. ſeipſos indignos faciunt vita eterna, Act: 13. 46.

Vocanti Deo rebelles & contradicentes, Eſa: 65. 3. Vocationem reſnuunt conſilium Dei deſpiciunt, & increpationes negligunt, Prov: 1. 24. aut in bonitate non permanent, Rom: 11. 23. neq; in fide ſtabiles, ſed patiuntur ſe a ſpe Euangely dimoveri Col: 1. v. 22. Hinc.

II πόρισμα. Errant itaq; qui ſcribunt Deum ex ſolo beneplacito, nullo futuræ impietatis reſpectu maiorem hominum partem eterno exitio devoviſſe.

II πόρισμα. Decipiunt & decipiuntur, qui impientiffimè crocitant, impietatem incredulitatemq; futuram non eſſe cauſam ob quam reprobemur; ſed quia merito nullo noſtro, ſolo divino beneplacito reprobatu & vitâ excluſi, ideo peccare, ad quod (quia ut media damnationis reprobis a Deo ſubſtrata erant) cum peccandi neceſſitate in utero conditi & formati eramus.

43. Hinc ſine diſtinctione boni & mali (ut loquuntur) omnium omnino actionum quotquot ſiunt Deum cauſam, primam, præcipuam, ac efficientem non permittentem proclamant, ut pote prodicionis Judaë, inceſtus Abſolomi, Adulteri Davidis, Indurationis, ſeductionis aliorumq; omnium nefandorum ſclerum. Et quia hoc convulſo univerſum Adverſariorum corruiſit ædificium, maturabimus ruinã ejus hiſce arietibus.

44. I Ex ſcriptura: Prima huc revocanda quæ dicta theſ: 10. & 11. Deinde Quia perfectum opus Dei & nulla iniquitas in illo, Deu: 32. 4. Ex quo ſalus nõ perditio Hoſ: 13. 9. Non volens iniquitatẽ Pſa: 5. 5. Ideoq; abominatio & odium Jehovah & peccatum & peccatores, Sap: 14. 10. Deu: 17. 4 & 18. 9. Pſ: 30. 7 et 44. 8. Prov: 8. 13. Zach: 8. 17. Al eorũ quorũ cauſa, nihil odit Sap: 10. 25. Nec ex oſum ſibi aliquid cõſtituit, Sap: 11. 25. Quãobrẽ peccãſ ne dicat ego impulſu Domini feci. Nã quæ ille odit, tu non debes facere. Eccl: 11. 11. Præterea Deus contriſtatur ſuper peccatis hominum, Jer: 8. 21. Matt: 23. 37. Prohibet. Exod: 20. Deut: 5. Matt: 5 & 12. Rom: 7. Gal: 5. Eph: 6. Heſek: 20. 12. Punit. Exo: 20. 5. Deu: 28. Removit a ſe maleacta, Je: 14. 14. et 23. 15. 27. v. 21. 2 Chron:

Buce in
Rom: 1.
Rennech:
pag: 125.
in Cat: 32.



2 Chron: 36. 14 15 v. 16. ac Diabolo adscribit, 1 Joan: 3 10. tamquam proprium Joan: 8 44. tum mundo, 1 Joan: 2. 16 & hominibus Rom: 5. 12. Matt: 15 19. Genes: 5. 6. 8. v. 21. Cum ergo nihil consortij Christi & Belialis, neq; ulla lucis cum tenebris in eodem jugo communio, 2 Cor: 6 15. Quorsum ergo Deum malarum actionum cum Diabolo consortem faciunt.

45. II. Quam impietatem nec sana ratio sufficere potest, quæ Deum peccatorum. 1 Ultorem, 2 Pœnitentiæ auctorem, 3 & pro absterfis peccatis gratias deberi agnoscit, 4 Similiter non hypocritam, 5 Unius & linguæ & voluntatis, 6 Justum judicem Rom: 3. 7. Gen: 15. 7 Precum & adhortationum confirmatorem, 8 Legis naturæ & Judicij conscientiarum confirmatorem, 9 distinctionis boni & mali adsertorem. Quæ singula Deo malarum actionum auctore agnito, cum omnium interitu interciderent. 10 Præterea quod conjugatorum lege, actio, actori suo nomen imponat suum, 1 Joan: 3. 7. Joan: 8 40 & 44. Rom: 6 17. Nunc si Adversariorum Deus non permissivè sed effectivè & quidam principaliter (ut volunt) inducat, seducit, & quævis nefanda & horrenda flagitia in Diabolo, hominibusq; impuris, impuritatis instrumentis dumtaxat, operatur & efficit. Erit Adulter, homicida, incestuosus & c. quales fuere Ethnicorum Dij Jupiter, Venus, Mars, & c. qui Paulo teste demonia. Quæ de vero Deo enunciare & blasphemia & nefas est: Hinc discant quid adorent, qui causam & authorem peccati pro Deo habent. Quod ne mihi invidiam maledicentiæ constent, dicam Joannis Calvini eodem sine, verbis, nimirum, eò, Deum cum Cacodæmone confundi.

46. Et si idem ego quod Calvinus dicam, non ideo mihi dicam scriberent Adversarij, quia si vera est absoluta reprobatio, ego, à Deo infallibiliter volente sic præscitus, Ideoq; aliter non possum, quã taliter dicere & scribere. Si quis contra hiscat; hunc Beza adfirmat Deum omnipotentia deicere, eumq; protinus, ac Epicuri de grege porcũ ad ejusdem dumeta amandandum esse. Deinde qui sive bene sive maledicam semper me necessariò dicere volũt semper quoq; ad voluntatẽ Dei facere (si non secundum revelatam semper tamen absconditam). Atq; hi & similes adversantis Theologiæ flosculi, quos numquam decerpẽt, nisi putridã suæ prædestinationis arborẽ radicitus exstirpẽt. Hic

47. III. Hic subscribendus purioris antiquitatis consensus fuisset, nisi Calvinus ipse ingenua confessione, lib: 3 inst. c. 22. d. 1. sibi ab omnium seculorum magnis authoribus oblocutum esse agnosceret. Ut tamen certi aliquid, his attendite. Quod Augustinus negat frequentius, hoc Ambrosius lib: 1 Exa. c. 8. confirmat, nulla ratione fieri posse ut Deus velit homines peccare, quia missus Christus ut dissolvat & destruat peccata. Similiter Fulgentius ad Monimum cap: 21. 22 & 23. In omni opere Dei justitia aut misericordia cernitur. Nam omnes viae ejus misericordia & veritas, Psal: 24. Et quidem cur Deus ex homine injusto faciat justum ratio reddi potest: quia in eo opere misericordia divina maximopere declaratur: at cur ex justo facere velit injustum, non potest ratio reddi, cum in illo opere nec misericordia nec justitia, sed iniquitas & crudelitas locum habeant. Neque contemnendus Anselmi locus de lib. Arb: cap: 8. Si Deus vellet hominem peccare, vellet id hominem velle quod non vellet eum velle, quae est manifesta contradictio. Nam justa voluntas hominis est, ea tantum velle, quae vult id quod vult Deus eam velle. Injusta quae vult id quod Deus non vult eam velle.

48. IV. Condemnatio propriorum judiciarum (quae pseudodotorum propria Tit: 3) facit pios ab hac haeresi magis magisque abhorere. Ipse enim Calvinus contra Libertinos cap: 1. 2. 3. & 4. hanc quam ipse in institutionibus tuetur (tempori inserviens quo pericula declinet) accusat confusionis Dei cum Cacodæmone, revocationis haereticorum Simonis, Cerdonis, Marcionis Priscillianistarum &c. Esseque haeresin nequiores & prodigiosam quam quae unquam ex Satana officina prodierit. His adde quae in c. 6. Matth: v. 13 & in c. 23 v. 1. & confer cum institutionum locis adsignatis. Vide Shonnum to: 2. Toffanum de Pelagianismo. Martyrem in 2. l. Reg: c. 6. & alios ubi habebis confitentes reos & concinam (scil.) adversariorum harmoniam.

49. Nunc ut intentatae blasphemiae veritatem, ac condemnatae injuriae probationes exaudias, recurre ad jam dictos vertiginosos spiritus. Quae cum apud eos sint amplissima habeto hanc electarum ἀνακεφαλαιώσις. Deum indurare Exod: 4. 21, Rom: 9. 18 ad malum excitare 1 Reg: 22. 51. tentare Gen: 22. Deut: 13 Excacare, 2 Cor: 4. Seducere Hesck: 14. 9. Facere errare Job: 34. 30 Miscere Spiritum erroris

Beza 2. p.
ad Colloq.
Möt. pag:
180.
Tossa: de
pela: thes:
roris 134.

roris, Ies: 63, 17. dare in sensum reprobum Rom: 1. 18 mittere efficiam erroris, 2 Thess: 2. 11. Uxores Patris Filio comprimendas tradere, C. p: 233. re, Schemu: 12. 11 Præcipere Simeï ut regi maledicat, 2 Schem: 19. 10 Bucerus in & similia, magna & parva sine distinctione boni & mali quæ cap: Rō. 1. fiunt, ea fieri (sicut loquuntur) Deo ordinante, instigante, occasiones exhibente, cum necessitate peccandi creante, ut sit eorum causa, res omnes antegrediens prima, præcipua, non permittens sed efficiens quorum Satanæ & homines sint instrumenta. Hæc enim illorum verba & mens.

50. Quid autem de allegatis exemplis statuendum est τὸ πρῶτον quod dicitur exponam; quia specialis resolutio & prolixior & collationis ipsiusmet sit. Primum itaq; non diffitemur malas actiones sive peccata simul & Deo & Sathanae & hominibus sæpè adscribi sed ratione longè discriminata. Nam D. Jacobus cap: 1. 13. manifestè negat finem quem adversarij volunt, inquiens: Nemo dicat cum tentatur, se à Deo tentari. Deus enim neminem tentat ad malum. Sed unusquisq; tentatur dum à propria conscientia inescatur. Nam quæ à Deo tentationes sunt, sortiuntur exitum, non infustum 1 Cor: 10. 13. Quos itaq; non irretit propria cordis pravitas, illis Deus non instillat: quia non ad malum. Deinde ob antegressa peccata sæpè peccatis punit quo pleraq; præmissæ thesæ exempla pertinent: quādo sicut magistratus homicidam dat carnifici occidendum, ipse eum

Cal: 1. 1. inst. tradit & permittit Diabolo (suo carnifici) & propriis concubis c. 18 d. 1. 2 piscentiis, ut ob peccatorum anteaactorum perseverantiam sibi poenam 3. L. 2. c. 4 & interitum cumulet. Deniq; quia facultates naturales habet à Deo quibus peccata committit; attribuuntur quoq; hætenus Deo earum actiones, quarum tamen ἀταξία est non à Deo sed Diabolo. & c. Quibus sic positis nihil periculi, hinc sententiæ nostræ est.

Marlo: ca: I πόρισμα. Profanum ergo est, Deum peccatorum auctorem adserere.

Rom: 1. v. 24. 9. v. 18. II πόρισμα. Ergo Deus nec vult peccatum, nec actionum ἀταξία à Deo est.

Szeg: L. c. pa: 233. III πόρισμα. Ergo nec reprobationem nec damnationem hominum.

Bez: p. 2. Col: Mon: 51. Hæc sunt quæ contra Adversariorum absolutum electionis ac reprobationis decretum adferre placuit, nunc adfuit hæc decidenda



da quaestio. Utrum semel regenerati, fide & spiritu sancto donati, ijs ob nefanda scelera orbari possint. Illi negant, nos adserimus moti his rationibus. I. Quod Paullus adsumtis gentibus scribat, Rom: 11. 22. Vide benignitatem Dei in te, si permanseris in benignitate alioquin & tu excideris. Et quantum Christum concernit ille semper nos inculpato exhibiturus est, siquidem in fide stabiles persistamus, nec a spe Euangelij audita dimoveamur, Col: 1. 23. II. Præterea mortalia peccata, Rom: 1. 28. 1 Cor: 5. 6. Gal: 5. 19. Eph: 5. 3 & c. spiritualem vitam in fidelibus enecant, sicut ad fideles, Romanos scribit Paullus c. 1. v. 32 & videre idem licet, 2 Cor: 13. 5. 1 Tim: 6. 10. 2 Tim: 2. 28 & c. III. Adhæc manifesta sunt exempla Adami, Genes: 2. Rom: 5. Davidis 2 Reg: 11. 4 Psal: 51. 13. Petri Matt: 26. v. 69. Joann: 18. 26. IV. Deniq; si mortalibus peccatis verè gratia non excidunt, veritas & poenitentiae & Excommunicationis concutitur: ἀσωτία confirmatur: Nullus frustra crederet: Nemini gratia esset inanis & c. quod tamen tum alibi tum 1 Cor: 15. v. 2 & 10. testatur Paullus.

52. Quod obijciunt dona Dei esse ἀμεταμέλητα, quomodo nobis non obsit declaravimus thes: 18. Quæere tamen licet ex adversariis, fidem eam quam dicunt tempoream, utrum donum Dei, an humanis concepta viribus. Hoc Pelagianum: Illud contra proprium objectum.

Quæsitæ.

- I Utrum distinctio & enarratio decalogi, quæ apud Lutherum vel quæ in Catachesi Palatina, veterior & Christianæ ecclesiæ accommodatior: Lutheri.
- II Num omnem proprietatum communionem sequatur abolitio & Negatur.
- III Num Lutherus in prædest: idem cum Calvinianis senserit & Negatur.
- IV Num Augustinus retractarit sententiam quæ Lutheranorum de fide prævisa & Negatur.
- V Nullus neq; Calvinianus neq; Pontificius certus est de salute sua & adf:

De his, Deo duce, impietatem adversariorum demonstrabimus, veritatemq; tuebimur.

Ne extrema vacaret pagella, utile visum fuit has sententias subtexere, ex quibus clarissimorum Theologorum, Augustini & Lutheri, de hisce certaminibus intelligantur iudicia.

August: lib: de predest: sanctorum, his verbis explicat retractatam sententiam quam presbyter de previsa fide defenderat, rationes. Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Quo testimonio precipue convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare dona a Deo, quibus temperanter iuste & pie vivamus in hoc seculo. Neque enim putabam fidem Dei gratia praeveniri, ut per eam nobis daretur quod posceremus utiliter: quia nisi credere possemus, si non praeccederet praeconium veritatis: ut autem praedicato nobis evangelio consentiremus, nostrum esse proprium & nobis ex nobis esse arbitrabar. Quae meum errorem nonnulla opuscula indicant ante Episcopatum meum scripta. Hoc unicum (ne cetera seram dicta) abunde D. Tossani de Pelagianismo centones refellit & dissipat.

Lutherus in cap: 26. Gen: Hac studiosè & accuratè sic monere & tradere volui, quia post meam mortem, multi meos libros proferent in medium, & inde omnis generis errores & deliria sua confirmabunt. Scripsi autem inter reliqua, esse omnia absoluta & necessaria: sed simul addidi, quod aspiciendus sit Deus revelatus, sicut in Psalmo canimus: Erheißt Jesus Christ/der Herr Zebaoth/vñ ist kein ander Gott. Iesus Christus est Dñs Zebaoth, nec est alius Deus. Et alias sapissimè. Sed istos locos oēs transibunt, & eos tantum arripient de abscondito. Vos ergo qui nunc me auditis, memineritis me hoc docuisse: Nō esse inquirendū de praedestinatione Dei absconditi: sed in illis acquiescendum, quae revelantur per vocationē & per ministeriū verbi. Ibi enim potes de fide & salute tua certus esse ac dicere: Ego credo in Filiū Dei, qui dixit: Qui credit in Filiū, habet vitā aeternā. Ergo in ea nō est damnatio aut ira, sed beneplacitū Dei Patris. Hec eadē aut alibi quoque in meis libris potestatus sum, & nunc etiā viva voce trado: ideo sum excusatus. Finis.

AB 61 430

ULB Halle

3

002 694 131



SK





H. 37

Disputatio
DIVINA, PRO SINGU-
UM HOMINUM SALUTE, VO-
LUNTATE CONTRA PROPHA-
nam aduersariorum impietatem,
adferentium.

amum Deo sic volente necessario lapsum esse.
m numquam voluisse omnium misereri, aut omnes salvari.
ristum pro omnibus nequaquam mortuum.
um plerosq; quos vocat ad salutem voluntate revelata,
arcere a salute & negare abscondita.
cata quae prohibeat, ad eadem occulte impellere.
ristum instrumentum salutis : Cujus meritum nec dignum
nec sufficiens ut Deum promereatur.
electos absq; fide vel Christo considerato.
rosq; absq; ullo merito suo reprobatos; eosq; cum peccandi
necessitate conditos.
m Auctorem peccati precipuum & efficientem.
is flagitiis renatos fidem perdere &c.

e qua sup beo, in Schola Tremoniaana
praefide

ANDREA SCHAAFMANO EC
ste Trem: respondebit Rever. Dn. Petrus
Lyander Scholae Lector.

18 Maij.

TREMONTIAE
Excudebat Albert. Sart.
Anno M. D. xcV.

10

